



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1613**

De Conivgio. Capvt II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

inopiam, suis facultatibus subleuabat. Erat enim pius mœrentium consolator, orphanorum pater, laborantium sustentator, & sub Chlamyde militari, propositum religionis abscondens; Deo quæ Dei, deuotionis studio Regi, quæ Regis, fide, & obsequio, & vnicuique, quæ sua sunt, ordinata claritate reddebat.

## DE CONIVGIO.

### CAPVT II.

**H**ic à primæua ætate in timore pariter, & amore, Deo inserviens, tandem annos attigit iuuentutis, & accepit uxorem nobilibus exortam natalibus, cum qua spe prolis procreandæ, aliquot annis permansit, & postea Deo propitio filium elegantis formæ de coniuge suscepit. Sicque optato potitus desiderio, sperabat possessionum suarum se adeptum hæredem. Sed non sic Christus præordinauerat, qui Hroznatæ solus hæres esse volebat, quod & factum est, prout in sequentibus plenè patebit; Nam puer ille breui tempore defunctus est, mater verò cui idem iunctus erat filius, vnigeniti sui orbata solatio, deflens & eiulans mortem nati, & ipsa in pace Christi quieuit.

DE